

## ABBATIA : SILOE

Ante annum 1140 tempore Sobieslai I., ducis Bohemorum, eiusque uxoris Adelhaidis, monasterium ad flumen Luba in meridiane parte Bohemiae aedificatum est, quod fratribus ex Ordine s. Benedicti occupatum est. Fundator novae domus regularis, Zeliv aut Siloe dicti, abbas Reginhardus erat, sub quo templum ad claustrum pertinens ab Ottone, episcopo Pragensi (1140-1148), consecratum est <sup>1)</sup>. Post a. 1148 autem acceperunt Benedictini mandatum, ut domum suam desererent <sup>2)</sup>. Historiographi Cosmae continuator dicit, abbatem Reginhardum apud episcopum accusatum esse, qui nullo praevio iudicio habito dignitate abbatis in Siloe eum privasset eumque iussisset cum suo conventu monasterium relinquere <sup>3)</sup>. Nostra aetate nescimus, quid abbas commiserit. E contra scimus eum posterius in Sazaviensi monasterio abbatem fuisse <sup>4)</sup>. Causa erant fortasse res ecclesiae in Bohemia. Adventu cardinalis Guidonis (1143-1144) in ecclesia Bohemica multa vitia sublata sunt; praeter alia etiam lis episcopi Olomucensis et Pragensis de arce Podivin habita ad finem perducta est <sup>5)</sup>. Haec a. 1144 episcopo Henrico Zdik tradita est, et episcopus Pragensis ad damnum restituendum accepit « ambitum Siloensem », ad quem pertinebat etiam ius patronatus in ecclesiam Siloensem. Sub episcopo Ottone autem monasterium intactum mansit, sed temporibus episcopi Danielis res mutatae sunt <sup>6)</sup>. Daniel in ecclesiam Siloensem ius habens, unacum episcopo Zdik convenit, se in Siloe Praemonstratenses introducturos esse. Daniel, postquam in episcoporum numerum solemniter receptus est (31 Decembr. 1148), Steinfeldiae fratres postulavit, qui

---

1) *Fontes rerum Bohem.*, II, 489; *Annal. Praem.*, II, 809; *Font. rer. Boh.*, V, 83. Friedrich C D B I 139, 157.

2) *Fontes rer. Boh.*, II, 487.

3) *Fontes rer. Boh.*, II, 269.

4) *Fontes rer. Boh.*, II, 268.

5) Erben, *Regesta*, a. 1144, n. 247, p. 111 et a. 1144, n. 246, p. 110.

6) *Annal. Praem.*, II, 809; Friedrich, *Codex dipl. Boh.*, I, n. 157, p. 162.



in Siloe se conferre possent <sup>7)</sup>. Quo factum est, ut 20 die Januarii a. 1149 fratres cum suo abbate Godescalco Steinfeldia Pragam in canoniam Strahov venerint, qui deinde in Siloe abirent ibique considerent <sup>8)</sup>. Commutationem monasterii Benedictinorum in canoniam Praemonstratensium Vladislaus II, dux Bohemorum, approbavit. Sed initio Praemonstratensibus in nova domo male agebatur; nudas parietes tantum invenerunt, et propterea Zdik eos adjuvabat, multa bona iis donando <sup>9)</sup> et usque ad mortem suam Siloe studiosus erat <sup>10)</sup>.

Sicut fere uno eodemque tempore ac Strahovia monasterium sororum Praemonstratensium in Doxana fundatum est, ita cum Siloe a. 1149 parthenon sororum Launovicium conditum <sup>11)</sup>. Juxta Chronicon Gerlaci Milovicensis, O. Praem., est Henricus, Steinfeldensis canonicus et medicus peritissimus, huius domus fundator <sup>12)</sup>. Hic Henricus, magna pecunia sanando acquisita, e voluntate Godescalci emit locum sub monte Blanik nomine, ubi a. 1149 duce Bohemiae permittente conditum est parthenon, in quod sorores e Donewald <sup>13)</sup> venerunt. Monasterium Siloense Launovicium sacerdotes et praepositos substituebat, qui bona necnon necessitates spirituales curabant <sup>14)</sup>.

Godescalci, primi abbatis Siloensis, non solum episcopus Zdik valde studiosus erat, sed etiam multi magnates terrae et episcopus Pragensis, Daniel et alii episcopi, erant eius amici <sup>15)</sup>. Godescalco abbate regnante e bonis monasterii nondum multa redibant, cum terra magna ex parte inculta esset <sup>16)</sup>. Propterea sub eo eiusque successoribus fratres diu quaestui bonorum suorum operam navare debebant <sup>17)</sup>. Godescalculus iam a. 1153 fratres in novam canoniam Gerasensem in Austria introduxit, quam Udalricus comes de Per-

7) *Font. rer. Boh.*, II, 488, 489.

8) *Font. rer. Boh.*, II, p. 488.

9) Erben, *Regesta*, p. 152, n. 343; *Font. rer. Boh.*, II, p. 490.

10) Henricus Zdik commendat se Godescalco; Erben, *l.c.*, n. 284, p. 128, a. 1150; G. Dobner, *Mon. hist. Bohemiae*, I, p. 105; *Font. rer. Boh.*, IX, praef., Friedrich CDB, I, n. 164.

11) *Font. rer. Boh.*, II, p. 496.

12) *Font. rer. Boh.*, II, p. 484; *Annal. Praem.*, II, c. 95, confer *Memoriae Dlabac*, T. I, p. 25.

13) *Font. rer. Boh.*, II, p. 496.

14) *Annal. Praem.*, II, 818.

15) *Font. rer. Boh.*, II, p. 490; II, p. 462. *Gerlach Chronic*, 498-505.

16) *Font. rer. Boh.*, II, p. 492; *Godescalculus ipse... labori manuum se numquam subtraxit*. *Font. rer. Boh.*, II, 497.

17) Tomek, *Dejepis mesta Prahy*, I, 406.



negg aedificavit <sup>18)</sup>. Exinde conici potest canoniae Siloensi brevi multos ascriptos sodales esse. Item non solum Launovicium, sed etiam Caunitium parthenon in Moravia et Pernec iam Godescalco regnante fratres tanquam praepositi sororum mittebantur, in quae monasteria Siloe etiam ius paternitatis habebat <sup>19)</sup>. Item sub Godescalco post a. 1174 Gerlacus <sup>20)</sup> in canoniam Siloensem intravit, qui postea primus abbas Milovicensis factus est <sup>21)</sup>. Anno 1184 Launovicii Godescalcus pie mortuus est, in Siloensem monasterium solemniter translatus ibique in ecclesia B.M.V. sepultus est <sup>22)</sup>. Sub Ottone <sup>23)</sup> successore eius (1184-1189) fratres Siloenses a. 1187 Milovicium introducti sunt <sup>24)</sup>. Circa a. 1200 vixit abbas beatus Castulus <sup>25)</sup>, quem in memoriam reducit ad hunc diem silva « na Hastalsku » dicta, prope monasterium sita. Ad a. 1210 abbas Marsilius I. vixit <sup>26)</sup>. Hac aetate regnabat etiam abbas Christianus, cuius diem obitus commemorat necrologium monasterii s. Michaelis Hildesheim <sup>27)</sup>. A. 1219 Gulielmus I imperium iniit <sup>28)</sup>; a. 1226 <sup>29)</sup> Honorius III Pontifex monasterium eiusque bona approbavit. Bona omnia erant sita in hodierno circulo : Humpolec, Mlada Vozice, Votice, Svetla, Polna, Dolni Kralovice. Nonnulli fundi etiam in Moravia erant. Bona ista partim iam a. 1149 Siloe possidebat, partim tempore a. 1149-1226 a benefactoribus data vel ab abbatibus empta sunt.

Manuum labor conversorum solum prope monasterium possibilis erat <sup>30)</sup>, in fundis remotioribus homines laici occupati erant. Bona monasterii non solum calamitatibus belli, aut sterilibus annis multa perpetiebantur, sed etiam tempore floris variis difficultatibus oppressa sunt. Hae erant, magna tributa, decimae episcopo, tributa aulae

18) *Font. rer. Boh.*, II, p. 406.

19) *Annal. Praem.*, II, 818.

20) *Fontes rer. Boh.*, II, p. 468 : *De gratia sanctissimi viri Godescalci... qui capitulo rediens me... recollegit.*

21) *Font. rer. Boh.*, II, p. 509.

22) *Font. rer. Boh.*, II, p. 505.

23) *Font. rer. Boh.*, II, p. 483, 503, 505; Friedrich, *CDB*, I, n. 323.

24) *Font. rer. Boh.*, II, p. 503.

25) *Arch. Památky*, II, 152; Georg Cruger, *Sacri Pulveres ac d. 26 Martii*. A. 1630 inventae sunt reliquiae b. Castuli c. inscriptione : « Pulveres Domini Castuli, tertii abb. Sil. ».

26) Erben, *Regesta*, p. 241, 243. *Necr. Dox*, 123.

27) *Fontes rer. Boh.*, II, p. 448.

28) Erben, *l.c.*, p. 283, 301.

29) Emler, *Regesta*, IV, p. 711.

30) *Fontes rer. Boh.*, II, p. 497.



Pontificiae, nobilium vicinorum iniuriae <sup>31)</sup>. Propterea abbates cupiebant liberationem a tributis episcopo et Pontifici datis et rogabant dispensationem a tributis solvendis. Ut a vi nobilium liberi essent, petebant, ut bona monasterii aut a Pontifice aut a principe terrae approbarentur et conservatores monasterii a Pontifice nominarentur. Si indagamus bona a fundatoribus donata, constabant haec e fundis cultis, in quibus erant vici cum « animatoribus » aut rusticis, vel familiis, vel constabant e fundis incultis, quibus « servientes » vel famuli additi erant <sup>32)</sup>. Servientes erant in bonis occupati tanquam operarii vel vario modo laborabant tanquam pistores, sutores, diversorum artificiorum servi. Hi « servientes » ad res monasterii pertinebant, sed liberaliter tractabantur. « Animatores » parvos agros in monasterii fundis habebant et domui religiosae partem frugum pendere nec non in agris ex parte etiam laborare debebant, nonnumquam pro tributis frumenti tanquam piscatores, fabri etc. occupati erant. Variis officiis obstringebantur « hospites » in fundis monasterii commorantes, sic dicti « napravníci », deinde sic dicti « dedinnici » et « trhovníci », qui Germani esse solebant <sup>33)</sup>. Hi omnes, qui monasterio aliquo modo serviebant, nequasum in conditione dura positi erant, saepe labore divites evaserunt seque redemerunt et ita liberi facti sunt. Optime meriti eo Siloenses evaserunt, quod succiderunt silvam in finibus terrae Bohemiae positam et colonistas e disitis regionibus in eam introducebant <sup>34)</sup>.

Circa a. 1243 abbate Hermanno regnante adducti sunt Siloenses ad ecclesias S. Nicolai in urbe Humpolec et S. Joannis Baptistae Iglaviae, emptione fundorum Teutonicorum equitum apud urbem Humpolec et Iglaviam <sup>35)</sup>. Ei etiam rex Venceslaus a. 1243 comprobavit fines monasterii, cum antehac ab filiis Wolframi, magnatis Moraviae, ei multa perferenda fuerint <sup>36)</sup>. Aequae controversiae de Lube flumine cum capitulo Vysegradensi a. 1236 diremptae sunt <sup>37)</sup>. Post a. 1243 in monasterio Ambrosius regnabat <sup>38)</sup>. A. 1255 abbas Marsilius II. a Pontifice Alexandro IV adeptus est, ut bona tem-

31) Tadra, *Styky s cizinou*, p. 70, 73.

32) Emler, *Regesta*, II, p. 1154.

33) Tomek, *l.c.*, III, p. 96, 98, 100, 104-105, 139.

34) Erben, *l.c.*, p. 382.

35) Erben, *l.c.*, p. 384, 385. Emler, II, nr. 2645.

36) Erben, *l.c.*, p. 384, et IV, p. 714.

37) Erben, *l.c.*, p. 420.

38) Erben, *l.c.*, 512, a. 1243.



pore Hermannii acquisita ab eo approbata sint <sup>39)</sup>. Etiam a. 1262 Pontifex Urbanus IV commendat monasterium tutelae s. Petri et fundos eius approbat <sup>40)</sup>. Ex hisce duobus tabulis apparent bona monasterii quanta fuerint, quae praecipue prope Iglaviam <sup>41)</sup> adaucta essent eo, quod a. 1258 donatum esset hospitale Iglaviense <sup>42)</sup> cum omnibus eius bonis et postea a. 1272 metallum <sup>43)</sup> argentarium. Successor Marsilii, Jacobus <sup>44)</sup> a. 1276 temporibus Ottonis Brandenburgensis tempora dura perpressus est, ita ut monasterium diu resurgere non posset, quod perspicui potest e privilegiis a. 1293 concessis <sup>45)</sup>. Eodem anno rex Venceslaus II bona canoniae approbavit <sup>46)</sup>. Vix monasterium augeri coeptum est, cum aetate Henrici de Carinthia valde laborat, sicut hoc Henrico Petrus Zbraslaviensis <sup>47)</sup> crimini dat. Ne sub rege Joanne Lucemburgensi quidem melius erat, qui magna pecunia egebat <sup>48)</sup>. Quapropter abbates : Thilmanus I a. 1303 <sup>49)</sup>, Jacobus a. 1321, Theodoricus a. 1323 <sup>50)</sup> et Stiborius a. 1341 inopia coacti sunt nonnulla bona vendere aut elocare <sup>51)</sup>. Hic status rerum durabat etiam abbatibus : Gulielmo II (1344), Thilmano II (a. 1348), Bertholdo (a. 1352) et Bernardo (a. 1357) <sup>52)</sup>. Magnis aerumnis pressus Bernardus ab imperatore Carolo IV petiit liberationem ab omnibus tributis, ut domus religiosa aliquantum attoli posset (a. 1357). Post eius mortem (a. 1358) idem status permansit, nec abbatibus Bohunko (a. 1360), nec Bohuslao (1360-1367) res melior cessit <sup>53)</sup>, ita ut iterum nonnulla bona elocare vel vendere coacti sint.

Demum ad finem vitae suae Bohuslaus Carolo IV regnante canoniam suam iterum melius sitam vidit, cum pristina bona redi-

39) *Annal. Praem.*, II, 810.

40) *Emler, l.c.*, II, p. 131.

41) *Emler, l.c.*, II, p. 61, 917.

42) *Emler, l.c.*, II, p. 146.

43) *Emler, l.c.*, II, p. 322, a. 1272 : *Urbs Iglavia dat monasterio stolonem in monte Rudolphi.*

44) *Emler, l.c.*, II, p. 421.

45) *Emler, l.c.*, II, p. 691, 692.

46) *Emler, l.c.*, II, p. 699.

47) *Fontes rer. Boh.*, II, p. 339.

48) *Dlabac, Memoriae*, t. III, a. 1310, 1314, 1320.

49) *Emler, l.c.*, II, p. 837, 900, 903 ; III, p. 2, 63.

50) *Emler, l.c.*, III, u. 395.

51) *Emler, l.c.*, II, p. 837 ; III, p. 2 ; IV, p. 451, 552 ; *Emler, l.c.*, IV, p. 353 : *Joan. rex homines monasterii Siloen. a citationibus in sudam eximit.*

52) *Emler, l.c.*, IV, p. 552 ; *Dlabac, l.c.*, t. III, ad an. 1348, 1352, 1357

53) *Dlabac, l.c.*, III ad a. 1360, 1361.



mere posset. Ab imperatore assecutus est approbationem suorum fundorum et etiam a Sede Apostolica ipse hoc petere volebat, sed Avenione circa a. 1367 mortuus est <sup>54</sup>). Traditione auctore claves in medio insigni monasterii sunt monumentum abbatis Bohuslai, qui Avenione mortuus est, isti claves originem suam potius habent aut e diplomate Urbani IV Pontificis a. 1262, aut antiquam ecclesiam Siloensem s. Petri a fratribus Benedictinis fundatam commemorant. Aquila in insigni cum litteris A. S. designant fors patronos primarios fundi Siloensis ducem Sobieslaum et Adelhaidam; porro medium scutum, quod insigne canoniae continet, est insigne nobilis de Leskovec, qui confrater Siloensis erat <sup>55</sup>).

Post mortem Bohuslai Gregorius IX electionem novi abbatis Henrici I agnoscere nolebat, sed denique cessit, conventu Siloensi petente illam reservationem, ad quam Pontifex provocaret, in Bohemia ignotam esse. A. 1370 Henricus I mortuus est et Henricus II successor eius, ecclesiam a. 1375 incendio afflictam et prius modo romano aedificatam modo vel stylo gothico mutavit <sup>56</sup>). A. 1389 idem abbas a Bonifacio IX. ius pontificalium accepit <sup>57</sup>). A rege Venceslao IV et a Brunone, episcopo Olomucensi, Jodoco, marchione Moraviae, privilegia accepit, ut vi eorum bona monasterii et parochias Siloenses ab omnibus damnis servaret <sup>58</sup>). Post Henricum II (a. 1398) <sup>59</sup>) regnavit Stiborius II (c. a. 1400) <sup>60</sup>), cuius successor Petrus I (c. a. 1408) approbatione bonorum canoniae a rege Venceslao IV accepta <sup>61</sup>), vidit initium bellorum cum Husitis, in quibus canoniam multa perpressa est. Primum a. 1420 monasterium expilatum est, quod coegit fratres Iglaviam fugere <sup>62</sup>). Posthac Siloenses maiore ex parte Iglaviae penes eccl. s. Jacobi degebant, ubi abbatem Drslau (a. 1422) crearunt <sup>63</sup>). Sub eo fratres in deletam domum suam redierunt, sed iterum a. 1424 post infelicem pugnam Joannis Leskovec contra Husitas eis fugiendum erat <sup>64</sup>). Imperium abbatiale Drslai I., eiusque successorum Stiborii III (1434)

54) *Annal. Praem.*, II, 813.

55) *Dlabac, Mem.*, t. III, an. 1367.

56) *Dlabac, l.c.*, ad a. 1375; *Annal. Praem.*, II, 813.

57) *Mon. Vaticana, Acta Urbani et Bonif.*, II, p. 632, a. 1169.

58) *Mon. Vatic., lib. c.*, p. 368, n. 651.

59) *Mon. Vaticana, lib. c.*, II, p. 632, a. 1169.

60) *Ib.*, a. 1400, p. 913, a. 1632.

61) *Dlabac, l.c.*, ad a. 1412.

62) *Annal. Praem.*, II, 813.

63) *Dlabac, l.c.*, ad a. 1422.

64) *Dlabac, l.c.*, ad a. 1422.



et Drslai II. (a. 1437) bellis Husitarum admodum grave reditum est ita, ut ne pecunia quidem camerae regiae data solvi posset, propterea rex Sigismundus eam monasterio a. 1437 condonavit. Inopia tunc a die in diem maior erat, laceris tunicis fratres induti erant, pane duro et incoctis plantis vescebantur <sup>65</sup>). Quam fors ecclesiae parochiales ad monasterium pertinentes deletae sint, cognoscimus ex eo, quod sub abbate Marco a. 1443 fratribus concessum est in altaribus portatilibus s. missam celebrare <sup>66</sup>). Sub hoc abbate, propter meliorem regionis conditionem, pauca solum bona redimi poterant <sup>67</sup>) ; his autem non obstantibus conventus et ecclesia canonicae reparari non poterant et propterea electio novi abbatis Joannis I (1447-1552) in sacristia ecclesiae s. Jacobi Jglaviae a. 1447 facta est et fratres cum abbate Jglaviae magis, quam in monasterio commorabantur <sup>68</sup>).

Res eadem permanserunt sub Petro II (a. 1452) et Joanne II (a. 1467), qui diligenter studebant fidem catholicam circa Siloe, Teutobrodam, Jglaviam attolere. Joannes II autem propugnabat fortiter ius monasterii in parochiam Jglaviensem, cum a. 1462 marchio Jodocus ipsum abolere volebat, ei etiam contigit a. 1462 ecclesiam Siloensem ex parte renovare <sup>69</sup>). A. 1458 accepit domus religiosa a rege Georgio de Podiebrad approbationem bonorum suorum <sup>70</sup>). Ex ea colligimus quae bona habuerit, omnia sita erant in hodierno circulo Humpolec, Svetla, Pelhrimov et in Moravia. Magna autem calamitas deprehendit successorem Joannis Martinum I (1467-1468), sub quo Siloe et omnia eius bona ab eodem rege domino Buriano Trcka de Lipa et Lipnice data sunt ad aes alienum solvendum, quod rex ei debebat <sup>71</sup>). Causa huius Georgii facti erat, quod abbas societati « Jednota panska » studebat ; hoc bene cognovit amicus regis, praeses regionis Caslaviensis, Trcka et regem de hac re haud dubie certiore fecit <sup>72</sup>). Praeterea agri monasterii domino Trcka opportuni erant, ut qui prope proprios fundos eius

65) Dlabac, *l.c.*, ad a. 1424.

66) Dlabac, *Mem.*, IV, ad a. 1443.

67) Dlabac, *l.c.*, ad a. 1445.

68) Dlabac, *l.c.*, ad a. 1447, 1452.

69) Dlabac, *l.c.*, ad a. 1458, 1460, 1462, 1467. Testimonium renov. est lapis alt. mai. c. inscript : « A. D. 1462 ad laudem Dei Omnip. et in hon. M.V.B. haec ara erecta, chorus perfectus et pictura per Joan. abb. XXV, prim. ord. cleric., M. Dei Genitr. sit eius auxiliatrix ».

70) *Annal. Praem.*, II, 813 ; Dlabac, *l.c.*, ad a. 1458.

71) *Annal. Praem.*, II, 815, *Archeol. Pamatky*, VI, p. 93.

72) Dlabac, *l.c.*, ad a. 1468.



— Lipnice — iacerent. Sic a. 1468 omnes fratres e monasterio Jglaviam discesserunt, et in claustro Trcka rem familiarem administrare coepit <sup>73</sup>). Haec certe pro canonica res miserae esse debebant, cum abbates eius victus causa paene semper erant simul parochi Jglavienses <sup>74</sup>). Abbas Venceslaus (a. 1486) successor Martini I, nec non initio etiam Petrus III (1489-1500) <sup>75</sup>) constanter Jglaviae erant. Exigua bona tandem possidebant in Moravia <sup>76</sup>). Demum a. 1499 ex pacto, imperatoris Maximiliani II cum Buriano de Lipe, tres fratres cum abbate in Siloe <sup>77</sup>) redierunt. Sed res adversae fratres Jglaviam reverti cogisse videntur, nam abbas Wolfgangus (1508-1518) Petri III successor, iterum vivit tanquam parochus Jglaviae <sup>78</sup>). Fratres in reditum ad canoniam suam non sperasse ex eo cognoscimus, quod a Julio II Pontifice concessionem acceperunt, ut abbas eorum aut Jglaviae, aut ad aliud templum monasterio incorporatum (Knezice, Mikulovice) consideret <sup>79</sup>). Inde saepe in documentis invenimus nominare abbates de Jglavia <sup>80</sup>). Successores Wolfgangi : Bartholomaeus (a. 1528), Andreas (a. 1540), Martinus II (1557-1567) multos fundos in Moravia vendere coacti sunt, ut locum tenerent <sup>81</sup>). Hi parvi redditus eorum non sufficiebant, ut Siloe redimeretur <sup>82</sup>). Sic morte Martini II a. 1567 conventus Siloensis esse desinit.

Conatus abbatis Zabrdocensis O. Praem. et praepositi Neo-Risensis O. Praem. Caspari Schönauer ad imperatorem Maximilianum II de Siloe resuscitatione solum ex parte aliquem eventum habebant. Schönauer ad personam accepit titulum abbatis Siloensis et redditus parochiae Jglaviensis <sup>83</sup>). Ne Joanni Lohelio quidem, abbati Strahoviensi, id plene contigit, solum a. 1590 in Siloe fratres Strahovienses introduxit, provocans Rudolpho II Caesari ad pac-

73) *Arch. Památky*, VI, p. 93.

74) *Dlabac, l.c.*, V, ad a. 1508 : *Wolfgangus abbas et parochus Jglav.*

75) *Archiv cesky*, XV, p. 64, n. 132.

76) *Dlabac, l.c.*, ad a. 1486, 1540, 1547; *Mikulovice, Knezice (ab a. 1279 antiqua Siloensis grangia cum magistro vel praeposito) Branice, etc.*

77) *Dlabac, l.c.*, ad a. 1499.

78) *Dlabac, l.c.*, t. V, ad a. 1505, 1510, 1518; *Dlabac, l.c.*, ad a. 1507... *ob ruinas monasterii et bona occupata ab Husitis...*

79) *Dlabac, l.c.*, ad a. 1508, 1528, 1540.

80) *Dlabac, l.c.*, V., ad a. 1540, 1547.

81) *Dlabac, l.c.*, ad a. 1502 : *Card. legatus Paulus concedit, ut redditus parochiae Mikulovice in Moravia canonicae Siloensi dentur.*

82) *Dlabac, Memoriae*, V, ad a. 1568, 1574, 1587.

83) *Dlabac, Histor. Darstell.*, III. 138.



tum factum tempore Maximiliani II <sup>84)</sup>. Aevo, quo Strahovienses administrationem Siloe susceperunt, transiit dominium monasterii a. 1599 a familia nobilium Trcka ad Procopium Dvorecky de Olbramovic, et ab hoc a. 1601 ad nobilem Joannem Hoffmann liberum baronem de Grympych; post haec possedit bona eius Carolus Gröger de Toletto. Post a. 1620 monasterium a Ferdinando II rege ex poena Grögerio ademptum est et Mariae Magd. Trcka natae Lobkowicz datum <sup>85)</sup>. Fratres a Lohelio in Siloe introducti sump- tibus Strahoviae et villae Jglaviensis, quam idem abbas a. 1600 emit, alebantur. Praeter eos nonnulli erant in parochiis incorpo- ratis <sup>86)</sup>.

Demum Casparo Questenberg, Joannis Lohelii successori, con- tigit, ut a Ferdinando II potestatem Siloe redimendi impetraret <sup>87)</sup>. Sic a. 1622 transeunt bona Siloensia in possessionem Strahoviae. Questenberg strenue restitutionem canoniae suscepit. Administra- tor monasterii erat Joannes Althaus <sup>88)</sup>. Tunc a. 1630 ecclesia exstructa, in parochias sacerdotes substituebantur et bona auge- bantur. Post Althaus a. 1639 Stephanus Magni administrator factus est, qui compensatione damni, quocum Strahovia monasterium resti- tuerat, se liberum facere studebat <sup>89)</sup>. Sic fit Stephanus a. 1643 tota Bohemica circaria petente <sup>90)</sup> abbas sui iuris. Stephanus cum canoniam sua spopondit, se illos sumptus, quos Strahovia pro Siloe fecisset, soluturum et parochiam Jglaviensem ad Strahoviam man- suram; abbatemque Strahoviensem pro patre abbate Siloe agnovit. Hoc pactum imperator Ferdinandus II a. 1643 approbavit <sup>91)</sup>.

Abbas Stephanus iam domum pro conventu aedificare volebat, sed bellis cum Suedis, in quibus monasterium et fratres perpassi sunt, hoc prohibitus est. Norbertus de Ameluxen (1649-1653), suc- cessor Stephani e Strahovia postulatus domum conventus aedifi- cavit, templum monasterii ornavit, domum conventus exstruxit cap- pellam B.M.V. « na Ostavku » aedificavit et ecclesiam SS. Trini- tatis in monte Kremesnik nomine, peregrinationibus claram, bene- dixit <sup>92)</sup>. Jste abbas in tota regione Caslaviensi valde colebatur

84) *Arch. Památky*, IV, 93.

85) *Annal. Praem.*, II, 816.

86) *Annal. Praem.*, II, 816.

87) Fr. Krasl, *Arnost hr. Harrach*, p. 295.

88) Krasl, *l.c.*, p. 296.

89) Krasl, *l.c.*, p. 296.

90) *Annal. Strahov.*, III, ad a. 1643.

91) Krasl, *l.c.*, p. 291; Hlina, *Arc. Stat. Siloe*, (Steph. Magni).

92) Victor Bezdeka, *D. Praem. Stift Selau*, p. 17 et seq.



et a. 1653 abbas Strahoviensis creatus est. In locum eius venit vicissime Strahovia Vitus Rössler (1653-1660), quem Siloenses fratres postulabant. Vitus, vir valde eruditus, in provinciali capitulo Lucae a. 1657 accerime de ordinis erectione agebat <sup>93</sup>). Eius antecessorumque eius cardinalis Ernestus Harrach magnus amicus erat, qui saepe Siloe visitabat <sup>94</sup>). Ab a. 1661 ad a. 1677 Siardus Falco abbas factus est, primus post restaurationem monasterii e medio fratrum Siloen-sium electus. Sub hoc abbate res canoniae bene steterunt, ita ut ecclesia ornari et bona augeri possent <sup>95</sup>). Tunc nobilis Joannes Christ. Leskovec totius Siloe magnus benefactor erat, cuius insigne sub abbate Milone Strobl (a. 1678 electo) in insigni canoniae positum sit. Abbati Miloni contigit a. 1688 aedificationem conventus, cuius partem abbas Norbertus aedificaverat, ad finem perducere. In Milonis successore eligendo a. 1695 primum invenimus praeter patrem-abbatem commissionem caesaream, in hac electione Candidus Svenda (1695-1698) fuit. Uterque solum breve tempus regnabat.

Hieronymo Hlina (a. 1703 electo) successori eorum, paene toto tempore gubernationis cum magnis difficultatibus decertandum erat, nam a. 1712 monasterium et ecclesia deflagraverunt. Intra octo annos contigit claustrum et templum renovare. Sed hae materiales difficultates Hieronymum non prohibuerunt, quin artes et litteras adiuveret. Praeter alia induxit in canoniam studium theologicum, quod clerici ex ordine discebant <sup>96</sup>). Vestigiis Hieronymi institit successor eius Daniel Schindler (electus a. 1725), qui monasterium non solum materialiter auxit, sed etiam decus ecclesiarum curabat. Etiam in attolenda bibliotheca curam adhibuit, ita ut nunc numeret duodecim millia tomorum, multa manuscripta nec libros, qui typis primi excussi sunt. Daniel non solum suorum membrorum eruditionem respiciebat, sed etiam iuventutis animos in schola monasterii excolebat, quam iam antecessores eius fundaverunt.

Daniel vestigia abbatum Norberti, Milonis secutus solemnem peregrinationem B.M.V. in festo Nominis eius amplificavit, in majori altari copiam imaginis Thaumaturgae Praemonstratensis Sacromontanae posuit, quam ab abbate Gradicensi Norberto Umlauf a. 1739 acceperat. Etiam iste abbas auctor est ecclesiae in Vojislavice, quo peregrinationes magnae etiam praesenti tempore suscipiuntur, ubi

93) Juxta Bezdeka vocabatur « sol Germaniae ». Juxta *Annal. Praem.*, II, 816, iterum in monasterio officium Div. nocturnum introduxit.

94) Krasl, *l.c.*, p. 602.

95) Bezdeka, *l.c.*, p. 19 et seq.

96) Bezdeka, *l.c.*, p. 23; *Archeol. Památky*, III, p. 158.



colitur B.M.V. « Notre Dame de Foy » <sup>97</sup>). Ut supra dictum est a. 1139 Benedictini ecclesiam s. Petri et B.M.V. aedificaverunt. Templum s. Petri habebat characterem rotundae. Aliqui auctores putant cum Benedictinis et monachos s. Basilii (sic dictos graecos monachos) idiomatis vetero slavici habitasse <sup>98</sup>). Ista sacra loca a. 1149 Praemonstratenses occupaverunt. Initio saeculi XIII ecclesia B.M.V., quae duas absides cum 4 altaribus habebat <sup>99</sup>) suum characterem Romanum amisit et speciem styli gothici induit. Post saeculum XVI ecclesia ab abbate Questenberg (a. 1639) stylo italico ornata et penitus restaurata est. Post ignem a. 1712 ecclesiam abbas Hieronymus iterum amplificavit (opera J. Santini), prout ad hodiernam diem manet. Tempore abbatum Hieronymi et Danielis in fornice et parietibus ecclesiae imagines et sculpturas fabricaverunt Joan. Henevogl, Joan. Kalina, Venc. Nosecky. Altare maius (Nativ. B.M.V.) aedificatum est cura abbatis Danielis, cetera altaria sub eodem abbate et Ernesto Moravek. Imagines altarium pinxit J. Maulpertsch <sup>100</sup>). Daniel in ordine toto valde colebatur. Ab a. 1742-1752 erat vicarius gener. Ordinis in Bohemia. A. 1752 resignavit, vixit in villa Opatov ibique 9 Junii 1754 pie mortuus est.

Ernestus Moravek (a. 1752), Gabriel Fliegel (a. 1775) abbates facti sunt. Sub Gabriele a. 1781 ab imperio caesareo connexio monasteriorum ordinis Praemonstratensis cum generali abbate, interrupta est, post sequebantur decreta (a. 1781) de clauso numero monasterio ascriptorum (12), abolitio exemptionum et collocatio ordinis sub iurisdictione episcoporum <sup>101</sup>). A. 1782 etiam allatum est decretum de monasterii Siloensis abolitione. Tunc Gabriel a. 1782 abiit Vindobonam et a Pontifice Pio VI exceptus est, sperans precibus Pontificis Siloe ab interitu salvari. Sed Iosephus II verba Pontificis parum curabat. Strahoviensi abbate Venceslao Mayer petente, qui ad aulam regiam notus erat, monasterium servatum est <sup>102</sup>). Quo tempore cadit abolitio studii domestici in Siloe.

Post abbatem Gabrielem regnabat Sigismundus Hemerka (1795-1806). A. 1806 electus est Adalbestus Fähnrich; tempore huius abbatis capessivit Siloe administrationem gymnasii Teutobrodæ,

97) *Almanach Mariansky*, p. 209, 210.

98) *Casopis vlast. mus. olom.*, XXI, p. 29 et seq.

99) *Fontes rer. Boh.*, II, 487.

100) *Ein Chorcherrnbuch*, p. 543 et seq.; *Arch. Památky*, III, 159; *Casopis pr. st. c.*, III, p. 88.

101) *Arch. Památky*, III, 130; *Bezdeka, l.c.*, p. 29.

102) *Annal. Strah.*, III, ad a. 1782, 1784.



quod cum urbe sustentabat. In eo occupati erant magistri ex monasterio, qui ad gymnasium et collegium faciebant <sup>103</sup>). Professores Praemonstratenses non solum permultos optimos viros nationis cechicae edocuerunt, sed etiam pauperibus discipulis studiis et vita magnifice consulebant. Scriptores cechici laudant omnem praeclaram actionem Siloensium Tentobrodae, quae memoriae et cordi totius nationis semper grata permanet. Ostenditur etiam, quam membra canoniae Siloensis in litteris occupata fuerint. Tum comperimus multos viros in philosophia, historia, mathematica, theologia, chymia, philologia, scientiis naturalibus eminebant et permulta opera scripserunt. A. 1885 status totum gymnasium suscepit et collegium periit. Post Adalbertum Fähnrich a. 1830 Ignatius Sekousek abbas factus est. Post mortem eius a. 1856 electio novi abbatis statim non evenit ideoque canoniam prior Aloisius Ruzicka tunc administrabat. Demum a. 1857 Norbertus Sychrava creatus est, natus in urbe Humpolec, qui non solum bono gymnasii Tentobrodae studebat, sed etiam restaurationi interius ecclesiae Siloensis a. 1883 et a. 1884, nec non elationi regionis prope monasterium. Eum a. 1890 Ferdinandus Bursik secutus est, qui de restauratione canoniae, materiali elatione circuli urbis Humpolec optime meritus est.

Post mortem abbatis Ferdinandi a. 1903 Salesius Roubicek abbas electus est, quem a. 1907 malum afflixit, quod monasterium cum multis thesauris artificiosis nec non imaginibus, quibus abbates anteriores canoniam ditaverant, incendio deletum est <sup>104</sup>). Sed iste abbas brevi tempore Siloe splendidissime restauravit. Successor eius (a. 1922) Fredericus Vavrousek turbulentis temporibus non solum bona monasterii optimo cum successu administrabat, sed etiam in Siloe centrum actionis eucharisticae et exercitiorum cleri et iuventutis utriusque sexus pro una parte Bohemiae erexit.

Iam abhinc 750 annis corpus b. Godescalci, primi abbatis, in pariete chori ecclesiae canoniae conditum est. Cum eo non solum eius discipulos b. Castulum, Manduinum, Engelbertum, sed etiam Dominicum Ruzicka <sup>105</sup>), magistrum novitiorum, Ernestum Astorium, optimum pastorem animarum <sup>106</sup>), martyrem abbatem Martinum I <sup>107</sup>), dedit Siloe ordini nostro viros beatae memoriae.

Velka Chyska.

Gulielmus ONDRACEK, O. Praem.

103) *Arch. Pamathy*, III., 130.

104) *Zlata Praha*, a. 1907 (VIII, IX).

105) *Lienhart, Spirit. liter.*, p. 67.

106) *L.c.*, p. 9.

107) *Annal. Praem.*, I, 814; *Dan. Kraszewski; Zycie Sw.*, p. 149.